



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex

Delrío, Martín Antonio

Mogvntiae, 1624

Qvæstio VII. Cur per maleficia sic Deus permittat dæmonem grassari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

quæ ortæ hæc opinio: Duplicis generis hæc sunt maleficia. quædam nocendi vim naturalem non habent: talia frequentius vtuntur. quædam vim habent physicam exitialem: talia Deus non permittit daemones fatis suggerere contra iudices, vicarios Dei: vel si talia permittit suggerere, facit tamē vt alia illa præferant, aut vt naturalibus non vt oportet vtantur, atque ita fiant irrita. Quod cum sæpius exper-
 B
 ta, confitentur se iudicibus nocere non posse. & quibus possent: nisi Deus impediret, vel concursum cum maleficis rebus suum cohiberet. Plura pete ex lib. 5. sect. 7. litt. D.

QVAESTIO VI.

Cur Deus patiat̄ sic maleficos rebus sacris abuti.

QVAESTIONEM hanc mouet & soluit Grilland. q. 6. n. 19. ego hanc non exiguam vindictæ diuinæ partem existimo, punientis hominum peccata, & sic huius quaestionis eandem esse solutionem, quæ est sequentis, præcipuam tamen causam puro esse irreuerentiam ipsorum Sacerdotum & clericorum. valde Domini non eo in honore, quo oportet, habentium, nec seiplos castos & puros à libe peccatorum, vt decebat sanctificatos, exhibentium. sic enim prouocant in caput suum propheticam comminationem d. incensum abominatio est mihi. Neomenias, & Sabbarum, & festiuitates alias non seram. Kalendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molestia. laboraui sustinens, auferam sepem eius & erit in direptionem, diuinam maceriam eius & erit in conculcationem. e.] & quæ talia innumera in sacris literis.

QVAESTIO VII.

Cur per maleficia sic Deus permittat daemones grassari?

CONSULI possunt de hac re Tritemius q. 5. l. 8. quaestionum, & laquerius flagell. fascim. cap. 18. cum seqq. causas easdē puto, propter quas solet pati hominem à daemone inuadi & possideri. hæc ex obseruatione veteris Historiæ possunt multa colligi, quæ ad duo capita fere possunt reuocari gloriam Dei, & hominum utilitatem. Quare non est mirandum, si (vt ait apud Bedam S. Cuthbertus. tali tormento non solum subiciuntur mali, sed occulto Dei iudicio aliquoties etiam innocentes, in hoc seculo, non tantum corpore, sed & mente captiuantur à Diabolo.)

Surius
ro. 2. f. 309

SECTIO I.

GLORIA Dei hinc augetur in nobis, quia sic attributa quædā gloriola Dei nobis manifestantur, ostenditur Constantia in decretis. quia vt hominem liberum creauit, ita libere sinit peccare, nec hæc libertatem impedit. cernitur etiam Suauitas in gubernando: quia cum etiam daemoni liberum arbitrium dederit, violentum videtur semper impedire, quod diabolus naturaliter potest & optat summo opere: ideo sinit illum aliquando id perficere. Clementia in genus humanū hinc elucet, quia si quantum vult & potest diabolus nocere permitteretur, nemo illaesus esset, immo & homines omnes occideret, ideo Deus frequentius illi facultatem nocendi denegat, accedit, quod nec illos ad penitentiam recipere dedignatur, qui se pactis conuentis & data syngrapha daemoni manciparunt. Nonne hæc summa est clemētia, cum vbi abundauit peccatum, super-

abundat gratia, & fit misericordia Dei super omnia opera eius. *Sapientia* elucet, quia cum diabolus Deus uti finat, naturalibus suis viribus, efficit tamen, ut patet iste superborum ab imbecillis saepe homullis, qui quae Dei sunt sapiunt, superetur, & ut ad sordidissima abiectissimaque ferenda patiente se deiciat, qui solum super Aquilone conatus fuit locare. Præterea Deus, quia solet ex malis bonum elicere, ynius peccatum facit alterius esse meritum. *Potentia* elucet, quia quoniam permittit daemona maiora (v. g. aquam in sanguinem vertere, ranas producere) in non sinit eum perficere minora (v. g. culices gignere) Quod euidenter demonstrat Deo daemone profus esse subiectum & sublegem, nec quicquam sine eius posse licentia cui, ut licetor vel carnifex Principi, subseruiat secundum D. August. *a. Iustitia* denique probatur, quia delicta hominum etiam in hac vita sic punit: quod quia homini quoque ipsi expedit, ideo hæc ratio ad alterum quoque caput pertinet, mixta est. & in vltimum locum a me reseruatur.

Secundum erat hominum vtilitas. hæc multiplex est: Nam quibus maleficio nocitum, eorum primo patientia exercetur, & constantia roboratur b, & merita augentur, & homines ad penitentiam & Sacramenta Ecclesie vsurpanda renocantur. Secundo fit cuiusque pala, num Deum diligat, necne: tunc n. qui Deum non diligunt, ad veritas artes confugiant, qui Deum amant, illi patienter ferunt, & se diuina voluntati atque presidio permittunt d. Tertio his vera humilitas acquiritur, ut confirmatur exemplo heremita cuiusdam apud Seuerum Sulpitium e. Quarto sternunt viam facilem ad o-

mine genus virorum, sic enim contingit B. Iuliano, ut cum fraude diaboli, vtrumque parentem occidisset, hæc illi ad meliorem vitam occasio fuerit, sicque in virum sanctissimum euaserit f. Nonne solet afflictio intellectum dare, & animas a peccatis iminentibus & exitio seruare? Quinto sic fides Catholica confirmatur & propagatur. Nam sic adstruitur fides contra infideles & atheos, qui spiritus & angelos esse negant, nam eos ipsa conuincit experientia. Quia tales erant, Christo Domino in terris conuersante, Sadducei, frequentior trium annorum spacio de energumenis fit mentio, quam toto veteri testamento, per tot sæcula: & quia in Ecclesia primitiua similis fuit error Peripateticorum, ideo tam multi tunc per daemones obsessi & erepti g. Quia hodie atheismus ex Calvinismi radice repullulat, ideo tot passim maleficorum examina succisa multiplicantur. Deinde contra hæreticorum nostri temporis perfidiam fides nostra stabilitur, cum videamus daemone fraude data per magos damna, ab eorum Symmistiis, ut cum Florente loquar, prorsus nulla remediari, sed eo daemones loco Notariorum habere adiurationes, quo Iudaicas olim filiorum Sceuæ: hi numero septem, ut similia solent, D. Paulum in exorcismis imitabantur: sed insultans illis diabolus, Iesum se nosse, Paulum nosse, ipsos non nosse inclamauit, & energumenus in eos insiliens κατηχευθησεν αυτων i'χουα xpi αυτων, sic contra eos præualuit, & ut dominus mancipia, nudos, & vulneratos effugere coegit h. Nonne sic daemone VVittenbergensis Lutherum in summas angustias, & alii profuuntum adegit? narrat historiam oculatus

com in Rfab. 77.

1. 1. 2.

c Deut 13
v. 3. D.
Aug. tra 7.
7. in 10. D.
Leo hom
13. d. ap. f.
d. D. Clem.
Eom. lib. 2.
recognit.
e Dial. 1.
e 14.

lib. 2. cap. 10.

lib. 2. cap. 10.

lib. 2. cap. 10.

testis.

testis, tunc Lutheri seruator, Staphylus. Nonne sic anno 1582. Birgellis de-
 moni parochum Lutheranum contem-
 pit & afflixit, quem Franciscanus fa-
 cile eiecit: narrat historiam idem Bre-
 denbach. Nonne prius Augustae Vin-
 delicorum anno 1563. Doctor Simo,
 Pastor Catholicus, energumenam li-
 berauit, quod frustra plures Ministri
 confessionis Augustanae fuerat cona-
 titus est idem ille scriptor. Nonne
 Laodunenſis energumena ex ore de-
 mon, Caluianios irridens, nihil sibi
 ab illis timendum clamabat, cunctis
 audientibus (anno 1566.) quoniam a-
 micis essent & foederati: res est toti
 Picardiae notior, quam ut negari pos-
 sit. Sane fuit animaduersum, & quo
 tempore Lutherus obiit, in Geila Bra-
 bantiae, ab obsessis daemones ad Lu-
 theri funus aduolasse, & quando (an-
 no 1566.) Belgica fuit iconoclastia, tunc
 Geilae, tum Amsterodami, ut Goesius
 adessent, obsessos iterum deseruisse.
 Ipsi vicissim Caluianiani, grati animi
 ostendendi causa, Parisiis in D. Medar-
 di templo, in vitrea fenestra, qua ex-
 tremi iudicii imago continebatur, vni-
 cum reliquere daemone rubrum,
 (quem ipse vidi) in D. Pauli Londi-
 nensis aede, solam effigiem diaboli, que
 D. Michael calcarat, Antuerpiae in eade
 summa, vidi solam relictam statuam
 diaboli, qui malo ad sinistram latroni
 insidebat, Ruremundi solum simula-
 chrum demonis follicularii, qui D. Ge-
 noueſe solet appingi, deniq; Lugdu-
 ni Batauorum, cum excurrerent Fra-
 ncescan. monasterium suburbanum e-
 uersuri, quandam, ver illi loco imagi-
 nem diaboli praelongo fixam hastili o-
 prauerunt, ut appareret, cui forent
 stipendiati, cuius auctorati militiae.
 Quotidie cernimus Daemones, male-

A ficos, & nouatores, quasi communi-
 b^o animis & codiis in Catholicos ferri,
 grauissimos tamen Magorum & dia-
 boli conatus, & noxas; vel illos irritos
 reddi, vel has aboleri, Catholicis pre-
 cationibus benedictionibus rebus sa-
 cratis, Sacramentisque, vt fuisse proba-
 bitur postea lib. vlt.

SECTIO II.

B Dixi permissionis causam esse peccati
 vindictam, & sane haec frequen-
 tissima est. aliquando sic punit Deus
 peccata aliena, sed hoc rarius. si pro-
 pter B. Eleutherii immoderam la-
 titiam, diabolus eius discipulum,
 quem reliquerat, iterato inuasit, sic
 infantulum Diabolus existinxit, quia
 parens detrahentem Episcopo luben-
 ter auscultarat, & non raro liberi, eo
 quod ipsis immeritis mala parentes im-
 precati fuerint, atrociter a daemone
 mulctantur, quod tum sit ad sumen-
 dam de ipsis parentibus ultionem: ex-
 empla praebet Casarius, r a quo & v-
 num habes, de marito, cuius execra-
 tione iniqua permotus Deus, permisit
 vxorem eius a daemone affligi. Sed
 frequentius atq; vt plurimum, sic per
 daemone Deus punit varia hominu
 D facinora propria, praesertim certa q-
 dam quae hoc loco enumerari, ad mul-
 torum vtilitatem arbitror futurum, vt
 quos peccati sceleritas non mouet, eos
 atrocitas poenarum permoueat. Pri-
 mum ergo est ex superbia nascens contu-
 macia in eos, quibus iure obedi-
 entia debebatur, propter hanc caelo dae-
 mones deturbati, & Adamus Paradi-
 so exturbatus, a & Nabuchodonosor
 sic dementatus, vt se bestiam credere,
 b & Aegyptij puniti malorum Angelo-
 rum immisione, c propter hanc in pa-
 rentes puniti illi, de quibus sic Ioannes

D. Greg
 lib. 1. Dial
 c. 20.

D. Greg
 lib. 1. Dial
 c. 33.

C

lib. 5. Mi-
 racul. c. 12
 c. 26.

lib. 5.
 c. 12.

Gen. 3.

D. Dan. 4.
 c. P. sal. 77.
 v. 49.

studium 25.
v. 1. 3.

e lib. 22. de
ciuit. Dei.
c. 8.

Exstat in
ter sermo-
nes Augu-
stini nouos
quos Lou. a.
Vlim ne-
ruicidit.

Archipresbyter scribit in vita D. Ze-
nobi Florentini. a. Cum mulier quaedam
Pagana & illustris, & diues valde in hac
ciuitate, mortuo viro, duos superstites ha-
beret filios, quo delicatissime curriat, &
a. l. perfectam illi iam peruenissent aetatem,
quodam die in iram versi, matrem pro-
prium pluribus verberibus enormiter fla-
gellarunt. Quod scelus ipsa impatienter ab-
horrens, corpora eorum horrendis impreca-
tionibus desolata fuit, gombusque procum-
bens & terram manibus pulsans, Erymem,
caeterasque infernas pestes in rabiem filio-
rum magno cum gemitu inuocat. Exau-
diunt demones ab imis tenebris: iuuenes
aggrediuntur, illos in furias exagitant;
Qui statim vt rabidi canes, mordaciter
admaicem sua membra corrodunt. Con-
currunt famuli, fit clamor ingens, alij fu-
nes, alij cathenas ferunt. ligantur iuuenes,
nec rabie contineri valent. Et.] aliud
quod paulo post accidit, narratur a
D. August. & morbi & sanationis ad
reliquias D. Stephani oculato teste,
de decem fratribus, quod vt & parē-
tes, sic imprecantes, non ferre inultū
videatis, ex ipso Pauli libello; quem
obtulit D. Augustino, praestat adscri-
bere: sic ergo Paulus ait; Cum ad-
huc in patria nostra Cappadocia Caesarea
moraremur, frater noster nati maior gra-
uibus, atque intolerandis communem ma-
trem affecit iniuriis; in tantum, vt ei et-
iam manus non dubitaret inferre. Quod
nos omnes, filij pariter congregati parien-
ter tulimus; vt ne verbum quidem fratri
nostro pro matre nostra, cur hoc faceret di-
xerimus. Illa autem semineci doloris stimu-
lis incitata, iniuriosum filium maledicen-
do punire constituit. Cumq; ad sacri bap-
tismatis fontem, post gallorum canus, memo-
rato filio suo iram Dei imprecatur; prope-
raret: tunc ei nesci in patris nostri si-

milicudine, vt intelligitur, demon occurrit.
& ab ea prior quo pergeret requisit. C.
illa ad maledicendum filio suo ob intoleran-
bilem contumeliam, se ire respondit. Tunc
ille inimicus, quoniam in mulieris insaniē-
tis corde locum facile inuenire potuit, vt o-
mnibus malediceret, persuasit. Illa autem
vipere inflammata consilium sacrum fon-
tem pronoluta corruit & sparsis criminibus,
nudatisque vberibus, hoc a Deo potissimum
postulauit, vt extorres patria, & circum-
uences alienas terras, omne hominum genus
nostro terremus exemplo. Mox maternas
preces efficax vindicta prosequitur: eui-
demque continuo fratrem nostrum aetate
& culpa maiorem, tremor membrorum
tantus inuasit, quantum in me vsque ante
hoc triduum, vestra sanctitas vidit. Serua-
to autem ordine, quo nati eramus, ante v-
num annum eadem nos poena omnes corru-
puit. Videns autem mater maledictiones
suas ad tantam efficaciam peruenisse, im-
pietatis suae conscientiam, & opprobrium
hominum diutius ferre non potuit: sed la-
queo guttur astringens lucuosam vitam
termino funestiore conclusit. Egressi er-
go nos omnes opprobrium nostrum non se-
rentes, & communem patriam relinquen-
tes, passim sumus per diuersa dispersi.]
sequitur postea narratio liberationis,
post diurnam peregrinationem, &
locorum sacrorum visitationem. Pos-
sem addere tertiū exemplum ex Ale-
xandri Neapoli: ani scriptis. g Nimirū
semper implebitur Sapientis prophe-
tia, Oculum qui subsannat patrem, &
qui despicit partem (LXX. vertunt, se-
nectutem, Hebr. est: Likheatb, quod
obedientiam significat, si deducas ē
radice lakā, audire, obtemperare, si ā
radice Kava, significat praestolari seu
expectare. noster ab hac radice dedu-
xit, h & ideo partum vertit; quia patris

siue liberi, est spes & expectatio matrum. *matris sua, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquila.* ad literam lenius est, suspendantur in patibulis: per anagogen vero, post obitum, imo & in hac vita, fiant partes & præda dæmonum.

Secundum peccatum est, odium proximi seu inuidia: ut enim charitas metatrix est Dei, domicilium præparans Spiritui Sancto: sic vitium illi contrarium, domina instruit, & diabolum inuitat, ac introducit. religiosi cuiusdam periculo, id probat idem Alexander: i. sed firmius testimonium nobis Saul præbet, quem idcirco Spiritus malus & inuasit. De odio & vindictæ cupiditate, quatuor exempla suppeditat Liliardus Episcopus in vita S. Anulphi ca. 24. & 38. & 41. & 42. apud Surium mense Augusto.

Tertium est carnalis libido, & etiam coniugalis intemperantia: propter quam licuit Asmodeo 7. Sara sponso interficere, l. propter quæ septem dæmonia Mariam Magdalenam occuparunt m. propter quam B. Paulus Corinthiū incastuosum Satana tradidit, n. & propter adulteriū: Michaelis Paphlagonis Imp. Byzantij infelix casus, apud Curopalatam. o. Et quia ad hanc dirigebatur curiositas ornatus ac dissolutio exterior, ideo puella illa apud D. Hiero. paruit dæmoni per maleficum immisso: ideo videmus, in homines libidinosos & in actum coniugalem, quem plerique non quo oportet affectu experunt, nec quo decet pudore & modo exsequuntur, plus licere maleficijs, quam in rebus quos peccatores. Ideo curiosam corporis sui cum statua Veneris collationem, dæmoniaca obsessione De^o vltus fuit in alia puella, narrante id B. Prospero. p. Mundo

A cordi promissa Dei clara visio, impuro cordi dæmonis debetur aspectus & consortium. Valde hominum obscenitate dæmon delectatur, & malefica omnes Veneris mancipia sunt, nec inter eas vlla virgo permanet, ut nec inter Caluinianos, & alios hæreticos cælibatus ofores. Vnde apparet magnam inter Magiam, Hæresim, & libidinem esse cognitionem.

B Quando ad sordes libidinum sacri legæ voti violatio, & scandalosa status ratione vita accedit, minus mirandum. Sed exemplum tamen dabo, quod etsi recitari memoria multis notissimum, sine horrore tamen nequit memorari. Loci nomen taceo. In Flandriæ comitatu prioratus est. Tres ibi nominatenus monachi degebant, re ganeones & cōcubinarij. tua cuiq; erat, nec pudor vll^o aderat, simul helleuari & libidinari. quadā die in seram noctem cōporatione protracta, vnus qui minus scelerosus sat (ait) Bacho. Ventriq; datum: Deo gratias saltem. Ego vero, subiinfert alius procacior, cæcō dæmoni gratias ago, & agendū cenfeo, cui operamur. Et cū riliū mensa relicta, ruitur in cubilia. singuli cū scorto vix decubuerant, ecce ribi in

D tricliniū vi ianua reserata dæmō magni, atri, & trucis viri specie, habitu venatorio, & cū eo cocci duo paruuli, ambulabat, & lectos circūspicit toruo vultu. deinde horrenda voce, vbi qui mihi gratias egit adsum, referam, lecto abstrahit pauitantiē, & ferme præ metu animam efflantem. traditū coccis iubet infigi veru, & luculento igne probe assari. parent præopte assatur infelix, emoritur planissime, cæteri feræ præ formidine; alii corporis nidore cubiculū impletur. Demum venator ad superstites sub stragulis trepidat. s

vix viuos, digni vos etiam (ait) pari supplicio, nec deest volūtas mihi. Verror vi maiore. Inuit⁹ abeo, & moneo: resipiscite, aut manēt terribiliora. Disparent laruæ: nec tamen his aliis animus rediit vel vox, nisi clara iam luce. Vbi surrexere, collegā inueniūt mortuum, & (ne visum inane putes) plene assūm. Haud scio an ab aliquot seculis quidquam ad exemplum vtilius acciderit: scio locum & ordinem, sed vtrumque silentio inuoluo.

Quarto loco sese offert *infororum virorum*, afflictio vel cades iniusta & crudelis. ideo tam grauius punitus fuit Ariobaldus Dux Longobardorum apud Ionam in vita S. Bertulphi, mense Augusto. Boleslaus impius Rex ob necem D. Stanislai. Anathemate ictus amens factus, à canibus propriis fuit deuoratus. a Geila vxor Ducis Franconia: D. Kilianū iusserat occidi. res latebat: sed Deus auctore hoc pacto prodidit. Vnus eorum, qui sanctos viros gladio peremerat, subito à demone arreptus, ingenti voce clamare cepit: Kiliane acriter me persequeris. Igne enim consumor: quod feci, celare non possum. Video imminere mihi gladium tuo sanguine respersum. Talia diu vociferans, & propriis dentibus se lanians, à presenti migravit ad penas aternas. De talibus quippe scriptum est. Duplici contritione conteres eos Domine. Alter vero cedis Sanctorum conscius in rabiem versus, gladio se petiit, effususque visceribus, per tormenta presentis temporis ad aeterna peruenit. Quisnam, Geila, talia cernenti tibi sensus tunc erat? infelix cruciatibus aucta furebas. Non multo, post & ipsa bellua, de qua loquimur, cruciatibus arrepta, quantis poterat vocibus clamabat: in se torqueor, quæ sanctus viris tortores adhibui: Recte crucior, quæ cruciatus illis pa-

raui. Acriter in fias Kiliane, ignem accendi Kolimane, fomēta ministras Tornane. Sufficiat vobis visse, nimis vestras viscemini iniurias. A calice dicitur es Kiliane, sed nimis amarā mihi potionem infundis. His dictis miserabiliter torquebatur, ita vt à multis teneri vix posset. Tandem cum magno cruciatu ad cruciatus Diabolo paratos migravit. Haec tunc auctor Martyrii B. Kiliani, b Item calumnia corundem accusatio, vt de fœmina patet, quæ D. Gregorium Agrigētinum fuit calumniata, vt in historia vitæ eius legitur apud Metaphrast. Sur. mens. Nouembri. & de alia narrat Cyrillus in vita S. Danielis Stylitæ, quæ virum sanctum mēdacter infamarat. [Sur. mense Decembri.] Paulo post idem ibi narrat de viro & fœmina & liberis occupatis à dæmone propter patris in sanctū calumnia. Item maledictio in sanctos, vt in Malachiam, teste D. Bern. in eius vita.

Quintum peccatum est agnita veritatis impugnatio, vt apud Apostolum, & in Canonibus: d nec non apostasia à fide, quod cuiusdam fœminæ exemplo comprobauit D. Cyprian. e

Sextum, his tēporibus (proh dolor!) frequentissimum est blasphemia propter quam D. Paulus Alexandrum & Hymenæum dæmoni torquendos permisit. f Thomas VValdēsis testis oculatus, quæ ipso præsente acta, circiter an. 1384. narrat in hunc modum; Historiam refero, quam ego præsens vidi oculis carnis meæ, in cathedrali Ecclesia S. Pauli Lōdini, vbi venerādus Cantuariensis Antistes, falcis recordationis Thom. Arundelii filius & frater Comitum, pro loco iudicij (assistentib. sibi Naruicēsis Ecclesia, tunc Præsule Alexandro, & alijs) residēs Episcopali seile verba quædam in interrogationes proponebat, de fide. Eucharistia, ad quendam

a Surius in eius vita tomo 7. Maii 8.

b apud
tom. 4. lib.
3. videri
potest. P. 15
rari in
vita

c. 1. Theop.
v. 10.
d. e. v. 10.
e. i. v. 10.
f. i. v. 10.

g. i. v. 10.

farto

sarcorem, de partibus Vigornia, deprehensum in heresi. Cumque flecti omnino non posset, nec aliud quam benedictum panem, sacratissimam hostiam volebat appellare vel credere, tandem iussus facere reuerentiam hostiae, respondit blasphemus. Vere, inquit, dignior est aranea reuerentia. At ilico de alto culmine tecti descendens ingens & horrida visu aranea, ad os blasphemii directo filo peruenit. Et dum sartor loqueretur, ut intraret per polluta labia aranea, sollicito laborabat. Adstitit Illustris Princeps Thomas Oxomensis dux, tunc regni cancellarius, & vidit prodigium. At praedictus Archiepiscopus statim surgens cum alius, exponit omni illic collecto populo, quid vltrix manus domini faceret in blasphemum g.]

Nonne verisimile est, daemone in aranea forma, sic istum miserum obsidisse? Sophronius h blasphemiae in Deiparam insignem vltionem recenset, hisce verbis. In hac (Heliopoli Phaniciae) minus quidam erat, Gaianus nomine, qui in theatro sanctam Dei genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiae praebebat. Apparuit autem ei S. Dei genitrix: Noli quaeso, noli ita ladere animam tuam. Ille vero rursus deterius illam blasphemabat. Vnde ipsa tertio ei apparens, eadem repetebat. Cum autem ille se non corrigeret, sed plus quoque blasphemis adiceret: meridie dormienti sibi apparuit, nihilque dicens, digito signavit eius manus & pedes. Euigilans autem inuenit truncatum manibus & pedibus. Atque ita infelix, ut truncus inutilis iacens, constrebat omnibus: cuius rei gratia, & quomodo hoc passus esset, utq; propter blasphemias clementer cruciatus fuisset.]

Quos ipsi Beati sic per se puniunt, non credendum malis spiritibus ad vexandum à Deo propter idem pec-

catum tradi: similia narrant alio tempore accidisse Constantinopoli Nicephorus, Neomagi & alibi Bredembachius li. 7. à cap. 360.

Septimum non minus frequens, est execratio seu imprecatio mala, qua quis sub conditione se daemone addicit. hanc non irritam esse solere, docent quae subiungam. Io. Casarius lib. 11. scribit mulierculam, quae se daemone addicebat, à daemone sublatam, nullamquam comparuisse. Ioan. Nider. ista commemorat k: Tempore, quo in Vniuersitate Colonensi Sacrae Theologiae studio adscriptus fui: quaedam virgo quindecim vel sexdecim annorum, moribus, secundum seculum, satis composita, in domo cuiusdam suae consanguinea nutriebatur, extra domum parentum. Cumque cognatae suae scyphum satis vilem terrenum quandam, à casu fregisset, cognata ira replebatur in lapsus negligentiam, & in eam virginem. Quae virgo tanto hoc molestius tulit, quanto vasculum vilius exstitit. In iram ergo commota virgo, hora sumendi cibum, nec comedere, nec ad mensam praera se presentare voluit. cuius cognata ait: Oportet ut comedas: at virgo apud se (ut mihi postea & exorcista retulit suo) huiuscemodi verba submurmurando dicebat, si me oportet edere, in nomine diaboli fiat sic mensam accepit, benedictionem mensae, quam bene sciebat, dicere neglexit. & in primo mortello, ut putabat, muscam ori illatam sensit: quam cum nulla arte eicere valeret, deglutit, & immediate obfessa fuit. semper tamen vsu rationis bonum habuit, licet saepe satis vexaretur à daemone. Cum autem in domum parentum cum magna maestitia reduceretur, & diutissime nullus reperiretur, qui liberare posset: tandem quidam frater nostri ordinis, nunc Magister, Gotfridus Schlüssel, Sacrae

C

D

E

i li 18. his. cap. 33.

G

k li 5. For. micarii.

Theologia professor, calamitati parentum & puella compatiens, se in eius exorcisatione intromisit, pacto tali prauo: vt si liberaretur, nihil terreni exorcista daretur, sed puella in castitate solita, si vellet, libere, & non in matrimonio de cetero Deo militaret. Legit igitur pater prefatus missam, obtulit obfessa oblationem consuetam, in eadem adfuit per tota & in nullo vexari videbatur. Finitoque officio, post satis diutinum exorcismi actum, membris omnibus virginei corporis pene pracontusis, exiit demon, & ita virgo deinceps Domino in castitate seruiuit.] vides hic imprecatione & pratermissam mensae benedictionem ex iracundia & contemptu, vides poenam, vides liberationem, mediante missae oblatione, proposito virginis & exorcismo. line, haeretici rideant, tu tam salutaria ne cõtemne. Paulo ante aliud idem Niderius retulerat, de insigni illo maleficarũ iudice, Petro, de quo non semel locuti sumus. Postquam, inquit, officium resignauit, & ciuitatem Bernensem reintrauit, ibiq; domicilium tenebat: die quadam rediens ad castrum Blanckenburg, vbi cognatus eius in ipsius officium substitutus fuerat, in eodem castro Petrus quadam negotia apud sibi notos expedire volebat. Tunc vna malefica, & quatuor consortes eiusdem malitiae viri, de sero in loco vno machinamenta sua artis voluentes pro viribus, vt Petrum grauius veneficiũ laderent vel occiderent, quae hac latebat fraudis commercia. Adueniens igitur nocte, Petrus se benedicendo crucis signo cubitum iuit: sed nocte omnino surgere proposuit ad scribendas quasdam necessarias epistolas, vt mane recedere à loco valeret. Euigilās igitur in impetu nocte, sibi videbatur ex inopinato quod dies adesset, luce deceptus fictitia, de quo in se iratus, quia, vt putabat, noctem neglexerat, non se, vt de-

A buit, mumento more solito, vestimentis induit, per gradus altos versus locum, vbi pugillarem habuit, descendit, & locum clausum reperit. De quo maiore ira exardescēs, cum murmure per gradus quos descenderat versus lectum iterato stangebatur, emittendo vnicam ex indignatione maledictionem, per verbum satis breue, ac si diceret, In nomine diaboli. Et ecce statim in tenebris diffusissimis Petrus, proiectus est in praecipit per graduum praedictorum passus adeo grauius: vt famulus qui subter sibaliam in commodo dormiebat excitaretur, & exiens quid adesset conspiceret volens, dominum suum Petrum accenso lumine, solum in terra, priuatum rationis vsu, iacentem, & collisum per omnia membra, sanguinem plurimum è corpore emittentem, reperit.] subdit post aliquod tempus confessione rei vnus cõpertum quatuor maleficos, cum vna malefica, sic Petrũ gradibus deiecit. Nota vero & hic, quam noxia Crucis consignatio neglecta Petro fuerit. Dignissima lectu sunt tres Historiae à Germano quodam I. C. suae de Lamis disputatione inserta: quas totidem verbis adscribã, ne, si meis, videar aliquid nõ bona factis fide repraesentasse. Ioachimo (ait) I. Electori Brandenburgico nupta fuit Ioannis Daniae Sueciae & Noruegiae regis filia Elizabetha, cui, vt alimenta se mortuo regina haberet, oppidum Spadaco ad Sueni & Hauelium confluentem maritus attribuit, in quo oppido, ipsa adhuc viuente, miles quidam, per Marchiam iter faciens, cum morbo impeditus detineretur, decumbens, tradidit crumenam pecunia refertam hospiti asservandam. Post aliquot dies, cum conualescit, reperit saccum. Mulier auarum cum egre tantam pecuniam amitteret delibatur cum viro, vtrum reddere debeat. Ineunt consilium, vt mulier neget depositũ.

Georg. G.
delm. s. l.
de Lamis
e. de malis
ria diaboli.

Quare cum miles suum repeteret, illa confidenter negat se quidquam accepisse. simulat se mirari impudentiam militis, qui audeat flagitare, cum nihil dederit asseruadum Miles, indignitate rei motus, obicit vicissim hospite perfidiam. Qua re maritus, tanquam defensusur suam coniugem, extrudit militem domo. is ante fores irritatus scelere hospite, stringit gladium, veluti impetum facturus in virum, & ferit ianuam. Hospes implorat fidem victorum, & queritur suas ades oppugnari. accurrunt lictores, & militem, quod vim publicam fecisset, abducunt in carcerem. Post aliquot dies senatus oppidi alio mittit narrationem facti, & sententiam perscribi petit. Constat ad ades publice oppugnatas esse. quare fertur sententia, vt miles ultimo supplicio afficiatur. Cumque iam instaret dies iudicii, venit diabolus in carcerem ad captiuum, indicans ei, quam sententiam iudices laturi sint, & pollicetur se hoc periculo cum liberaturum esse, hac conditione, vt se diabolo dedat. Miles constanter respondet, se potius moriturum esse, quamuis sit innocens. Cum vero diabolus verbis multis exaggerasset periculum, nec tamen inflexisset militis animum, tandem pollicetur ei liberationem, sine vlla conditione. Et cum veneris, inquit, in iudicium, dic te imperitum esse forensium negotiorum, & patrono indigere: ibi astabo caruleo pileo rectus, & ornato pennis. Peti igitur, vt me iubeant causam dicere. Miles qui hoc sine impietate facturus videbatur, ait se hoc consilio vsurum esse. Postridie in iudicium ducitur: adest etiam orator rectus caruleo pileo. ibi cum actor peteret militem propter vim publicam, capitali supplicio affici, miles respondit, se imperitum forensium negotiorum, petere, vt liceat isti suo aduocato pro se dicere. concedunt iudices. ibi diabolus de iure erudi-

A te disputat: non esse capitali supplicio afficiendum eum, a quo non sit ortum rixa & tumultus initium. ait ab hospite militem vi extrusum, & spoliatum esse. iubet queri sacrum, & locum monstrat. Ibi cum hospes vehementer negaret, addens eius diras imprecationes, vt ipsum, abreptum diabolus perderet, si fecisset. Hanc imprecationem cum inuocatione diabolici cum aliquoties repetiisset: ibi causidicus: ommissam disputatione forēsi, adoritur hospitem, & comprehensum per fenestras & medium forum, omnibus perhorrescentibus, cum fragore abducit, nec postea vquam corpus hospitis inuentum est.] En hic auaritati imprecationum causam & iniustitiam, quomodo Deus ultus per carnificem suum. Non dissimilia narrantur his a Cantiprateni: Cum tres (inquit) comibones in taberna mero mcaluissent, oritur de anima immortalitate, & pœnis inferni sermone: vnus procacior id totum pro nugis habere, & commentis sacrificorum, ceteri iocanti applaudere. Interea aduenit vnus magna vir statura, & vesco corpore, & asidens: Qui hi (ait) sermones? qua risus causa? Refert procax ille, & addit, se quidem licitanti haud magno pretio animam venditurum, quin & pecuniam in Symbolum collaturum. Tu vero, infert aduentor, Quanti illa mihi indicas? nec mora, cōueniunt de precio. hic animam addicit emptori, emptor soluit: potatur strenue de praesente pecunia. Denique sub noctem, Tempus (ait) emptor, vt ad propria quisque. Sed vos ius dicite, si quis equum capistro ligatum emerit, nonne ius ei cum capistro equum abducendi? Et cum dicto, venditorem trementem in omnium oculis abripit, & sursum in aera leuat, & secum ad infernum trahit, visurum quod credere noluerat. Animarum quippe mercator erat iste, cuius figura fuit Rex ille Sodo-

morum, dicens, Da mihi animas, cetera tolle tibi.] Sic Cantiprat. libr. 2. cap. 55. part. 3.

Pari terrore, sed meliore successu miles Hispanus, hic in Belgio, ante annos viginti duos, cum adhuc saeculo mererem, à Deo commonitus tatum fuit. Capitaneus Brauo vocabatur, sepe à me visus. deditus supra modum aleae, & in ludo diras iacere in se iuxta atq; alios pronus. quadam die, cū dānoli semper numeri lucrū iactu quærenti subsilirent, ira effervescentes in caput suum dirissima precabatur: & subito corā multis qui aderāt, ab inuisa manu, ad tabulatū vsq; sublatus, post aliquod tēpus mortuo quā vino facie similitior in solum deponitur. felix si vt arorē cadauerosum toto post vitē tēpus retinuit, sic respiciens lulus autilitate deposuisset. Sed pergit ille I. C. in Silesia (inquit) quidam nobilis, cum inuitasset conuiuius, & hora conuiuij iam instante, & apparatu facto, spe frustratus esset, excusantibus se conuiuius, cur non comparerent, prorupit iratus in hæc verba: veniant igitur omnes demones si nullus hominum mecum esse potest. His dictis domo egreditur in templum, vbi pastor Ecclesie, concionem habebat: & vt iracundiam cōcoquat, auscultat aliquamdiu: dum vero in templo moratur, veniunt equites in area domus magni & nigri, & iubent seruum domus, vt dominū suum aduocet, eiq; significet, adesse hospites. Seruus consternatus abit in templum, & indicat hæc domino suo, qui nescius consilij pastorem consulit. Pastor abrumpens concionem, hoc consiliū dat, vt tota familia domo exeat. quod cum fieret & famuli ac ancille properarent, forte obliti infantem in cunis iacentem & dormientem, secum non auferunt. Demones incipiunt comessari & vociferari,

prospicereque per fenestras formis vrsorum, luporum, felium & hominum, & monstrare pocula vino repleta, affaturas, & pisces. Hæc vicini, nobilis, pastor, & alij cum viderent. Ah, inquit pater, vbi infans meus? vix cum hæc dixisset vnus ex demonibus vlnis suis infantem ad fenestras gestat quasi monstraturus parentibus. Nobilis prorsus consternatus & sollicitus de incolomitate infantis, fidum habens seruum, quem interrogat, quæso tu dic, quid agam? Seruus, Domine inquit, commendabo & committam vitam meam Deo meo, & in nomine Domini ingrediar, & vt infantem auferam auxilio & beneficio Dei videbo. Bene inquit nobilis, Deus tecum sit, & iuuet te, animūque tibi confirmet. Seruus, accepta benedictione à pastore & reliquis: ingreditur, & ante conclaue, in quo erant demones congregati, procidit in genua, & se Deo commendat, & hoc animo aperit ianuam, & videt demones horribili specie sedentes, stantes, obambulantes, serpentes, & vno impetu æcurrentes ad se, & vociferantes: Hui, Hui, tu quid hic tibi? Ille sudans, & tamen diuinitus confirmatus, alloquitur demonem, qui infantem gestabat: Tu, inquit, mihi infantem trade. Nequaquam, respondet iste, iam meus iste est infans. dic domino tuo, vt veniat, & accipiat infantem. Cui seruus: Ego fungor iam officio meæ vocationis, in quam me Deus collocauit, & scio quicquid in hoc officio facio, id Deo gratum esse. Quare ratione mei officij, & auxilio, nomine & virtute Iesu Christi aufero abs te infantem, & patri eius restituo, atque ita ipse apprehendit infantem & brachijs suis amplexus est. Isti nihil aliud respondent, nisi vociferantes, Hui nebulō, hui nebulō, relinque infantem, relinque alioqui te disperemus. Ille nihil curans

minas Diabolicas abijt incolomis, & in-
 columem infantem patri nobili reddidit. Da-
 mones postea, aliquot diebus elapsis euanne-
 runt, vt in ades denuo migrare cum tota fa-
 milia nobilis poterit.] vides inconfuli
 dicti, quas pœnas pater dederit: vides
 dæmonis potestatem in innocentem
 puerulum claudere. Nam, quod scri-
 ptor ait, benedictionem à pastore &
 cæteris accepisse, hoc est, promiscue à
 pastore & cæteris, commentum su-
 spicor Lutherani hominis, & discrimen
 ordinum confundentis. Sequitur
 tertia narratio: In Saxonia virgo o-
 pulenta formoso iuueni, ac tenuioris fortu-
 nae, matrimonium promissit. Hic quid futu-
 rum praeuidens, illam praeiuram, & sexus
 ratione, mutabilem, fidem vix seruaturam
 esse puella respondit. Illa contra diris se exe-
 crari his verbis cepit, si alteri, quam tibi
 nupsero: tunc mediabolus in nuptijs illis ab-
 ripiat. Quid sit post interuallum aliquod
 mutat animum, nubit alteri priore sponso
 spreto, qui eam semel atque iterum promissit,
 diu & imprecationis admonuit. Sed illa
 posthabitis omnibus nuptias cum altero
 sponso, relicto priore, celebrat. Ipso die nu-
 priali, cognatis, amicis, & conuiujs hila-
 ribus; sponsa, vigilante conscientia, reddi-
 tur tristior solito. Tandem diaboli duo, sub
 specie duorum equitum in ades nuptiales
 adueniunt, excipiuntur, adducuntur mensa.
 hisque remotis, chorea, vniue ex his spon-
 sa, honoris causa, tanquam peregrino ad-
 iungitur, cum qua bis saltauit, & tandem
 eam è conspectu parentum & amicorum,
 summo cum gemitu & lamentatione, per
 ostium, in alium sustulit. Altero die paren-
 tes & amici mesti, sponsam querunt, vt de-
 lapsam forte sepelirent: sed ecce hîdem socij
 occurrunt, vestes & aurum referentes, ad-
 ditus verbis: Non in has res, sed in sponsam
 à Deo nobis fuit potestas concessa.] sic illa
 corpore & anima diabolo tradita,

A quæ promissionem nuptiarum viola-
 uit, & imprecationem additam con-
 tempsit. Aliud denique exemplum de
 quodam, in martyrem maledico, sibi
 insaniam imprecante, & mox furore
 correpto, & sequenti die sic horrende
 absumpto, cedit Casarius Engelberti
 Colonien. lib. 2. c. 14. apud Sur. mense No-
 uembri. Huc etiam referendum est,
 quoddam de Goduino comite, qui
 cum periurio sibi esset necem impre-
 catus, subito parisi bolo fuit suffoca-
 tus. [Polydor. Virgil. lib. 8. hist. Anglor.]

B Octauum solet esse vitium vsurae.
 confitentur enim hæc nihil maleficij
 posse illis inferri, qui eleemosynis va-
 cant: contra narratur, quæ saltem
 sub vsuris mutuam dedere virgines,
 dire à dæmonibus maleficio immillis

C vexata. a. Prius intelligendum de cõ-
 ferentibus eleemosynam ijs, quas ne-
 sciunt esse sagas: nam qui sciunt esse,
 & tamen conferunt, hos putant posse
 à maleficis laedi. Neque enim mirum
 si Deus, hos quasi fautores oderit, id-
 eoque permittat laedi. odit Deus mi-
 re auaritiam, vt docetur alio exem-
 plo quod Lamberti Schaffnaburgensis
 an. 1066. verbis dabo. Reginherus Mis-
 nensis Episcopus obiit. Is dum suscepto Epi-
 scopatu Goslarum venisset, post refectio-
 nem, in cubiculum, vbi thesauros suos, quo-
 rum nimis amator erat, nullo conscio, in-
 foderat. quasi paulum requiescere volens sese
 inclusit: cumque iam die vergente in vespere-
 ram, præter modum consuetudinemque
 suam somno indulgere videretur, rem inso-
 litam mirantes cubicularij, pulsare ostium
 ceperunt, sed nec pulsantibus, nec vociferan-
 tibus vllum dabatur responsum. Tandem

D fractis foribus irrumpentes, inuenerunt eum
 fractis cernicibus, colore terro exanimem
 ipsis thesauris suis miserabilem in modum
 incubantem] discant Prælati thesauros

a Breden-
 bach lib. 6.
 collat. c. 25.

sibi in caelis & non in terra defedere. Et hac radice natum vitium.

Nonum reputo, duritiam & immiseri-
cordiam in pauperes. Ut omittam Mo-
gnatinum Episcopum illum, ut opi-
nor à dæmonibus murium specie ne-
catum, quod pauperes murium no-
mine tempore famis delectarasset, &
sibi duxisset persequendos: b recentius
quiddam ex Pero Bizaro sub-
iungam.

In Suecia (inquit) Bauaris & Franco-
nibus finitima, fuit quidam nobilis valde
diues & opulentus, nomine Rikbergerus, cui-
us annui redditus supra 30000. num-
mum aureorum extendebantur. Hic ta-
meti in reliquis vite actionibus non vulga-
ri laude dignus cen'ebatur, ineffabili tamen
cupiditate laborabat: eaque factum est, ut
quotidie opes per fas & nefas accumulare,
omniaque ad se rapere studeret. Cum ita-
que prospiceret annonae caritatem, quae pro-
ximo anno in ea regione subsequuta est, sua
horrea tritico & frugibus impleuit, magno-
que precio ea diuendere cepit: adeo ut indi-
gena compulsi ab eo victum emere, ob in-
exhaustam eius auaritiam, vel fame pror-
sus perirent; vel, si ali & sustentari vellent
ad magnam egestatem atque inopiam re-
digerentur: tam care illis granum & reli-
qua eius generis diuendebat. Ad hunc, præ-
ter alios innumeros, venit quidam pauper
& liberis onustus, cum sex taleris, eumque
rogauit, ut pecuniam acciperet, ac quan-
dam tritici mensuram sibi daret, seque re-
liquam partem pecuniae, quam ibi deberet
breui bona fide persolaturum: at ipse hunc
superbo vultu & iracundis oculis intuitus,
à se protinus abire iussit, & quod reliquum
erat pecuniae secum adferre, si frumentum
vellet, atque ita miser ac maestus, diras im-
precatus, illinc recessit. Paucis post diebus
cum is quendam ex famulis in horreum
mississet, ut illud de more inspiceret, ab ipso

b Munster.
in C. ofmo-
gr. ph.

Hi demo-
nes erant
in contum-
eliam.

A in reditu accepit, tres nigros boues nris es-
se, qui granum deuorarent, qui autem
huc retulit, proximo die lecto decumbens,
haud multo post è vita migravit. Idem
quoque accidit cuidam generoso, quem il-
luc herus miserat, ut videret an ita se res
haberet, sicut prior narrauerat: is enim &
boues, & equos inspexerat. Cum igitur de
hac re certior fieri vellet, ipsemet in eum lo-
cum proficisci statuit: iuitque ad portam
horrei, ibique per quasdam rimas vidit to-
tum horreum plenum varijs atque immu-
meris armentis, quae omnes fruges absum-
bant. Hoc spectaculo ita perterritus est, ut
statim furiosus atque insanus euaserit, mul-
taque dementer fecerit, donec tandem ca-
thensis astringeretur. Hic horribilis casus
magnam sane admirationem attulit, cum
in ea prouincia, tum praecipue in aula Ce-
sariana, quae illum antea prudentissimum
cognouerat.] Hæc ille, narrans, quae in
Europa memorabilia post annum
1560. accidisse ipse notarat, Epit. fol.
281. Triplici hac visione clemens
Deus, poenam semper augens pro cul-
pae modo, patienter operiebatur, &
ad poenitentiam reuocare nitebatur.

D Notatum à quodam, sagas; quibus à
Satana semper nocendi necessitas
imposita est, si desint quos vlciscatur
inimici, eleemosynam mendicare: &
si quis facultate praeditus ad erogan-
dum, & sagas esse nescius, denegarit,
hunc in magno versali periculo. sic
Pictavi ann. 1567. duo magi confessi
sunt se quadam die, squalidos egen-
tesque stipem ante fores praedictis
patrisfamil. postulasse, eam recusata in-
iecessisse fortem & domesticos omnes
in rabiem actos obisse furiosos. a

E Decimum sit irriso sacrorum mysterio-
rum, & quod eodem pertinet, abusus
atque contemptus ceremoniarum & sacra-
mentorum Cathol. Eccles, vlciscitur

Crossum
permanens
creatus
placium.

a lib. 7. de
monum.
c. 5.

Deus

Deus quotidie, & pergunt hæretici contemnere. quædam de singulis accipite. de Batauo per ludibrium Misæ sacrificium imitante an. 1574, & dire multato, legendus Bredenbach. Nouatum constat, eo quod nec chryfma, nec exorcismos in baptismo percipisset, à maligno vexatù. scribit Victor Vicensis d Proculum quendam Arianum, qui de pallis altaris, camifias sibi & femorabilia faciebat, frustatim sibi vorasse linguam (haud dubio obsessum) & sic turpissima morte consumptù. Donatistas Eucharistiam effuendètes, quibus eam obiecerant, canes inuasere, teste Optato. e Multos suo tempore ob indignam Eucharistia perceptionem immundis spiritibus adimpletos, nobis est auctor D. Cyprianus, f & memini me duo illustria legere exempla apud Greg. Turonensem, & in vita S. Godefridi Ambianensis Episc. g suffecerit ascribere illud Greg. Turonensis. Epach. (inquit) presbyter, dum temere, quæ indignus erat, agere presumpisset, diuino iudicio solo proiecitus, occubuit. Hic enim dum Dominici Natalis vigiliis celebrare Ecclesia expectisset, per singula horarum momenta egrediebatur è templo Dei, ac in domo sua pocula lasciuia spumantibus pateris hauriebat, ita ut affirmarent multi eum post galli cantum in ipsa nocte vidisse bibentē. Sed cum esset ex genere Senatorio, & nullus in vico illo Ricomagensi, iuxta saculi dignitatē, haberetur nobilior, celebrare Missarū solemnia expectatur. Nec dubitat miser vino madefactus appetere; quod ieiunus quisq; non sine metu potest terrente conscientia explicare. Verum ubi explicitis verbis sacris, confracto Dominici corporis sacramento, & ipse sumpsit, & alijs distribuit ad edendum mox equum hinnitus ad modum vocem emittēs, ad terram ruit, ac spumas cum ipsa myste-

A rii sacri particula, quam dentibus comminueri non valuit, ab ore proiciens, inter manus suorum ab Ecclesia deportatur. Nec caruit vltra hac epilepsie infirmitate, sed per singulos lunares cursus incrementis decrementisque hæc semper pertulit, quia ab haustu nimio vini minime infelix abstinnit.] hunc epilepticum energumenum fuisse indicat hinnitus equinus: & merito, quia sicut equus & mulus, corpus Domini non dijudicauit. Bredenbach. non dissimilem violati ieiunij, sed in cibi qualitate vindictam recenset his verbis; *Paucis ab hinc annis postquam Torpatenses in Lutherana doctrina concesserant, feria sexta solemne Pascha festum proxime procedenti, finita Lutherani Ecclesiastica concione, ciuibus è templo D. mari virginis sacro reuertentibus, quidam alium conciuem & familiarem inuitat ad prandium rogat vna domum conuenerit, habere se egregie paratum petasionem VVestphalicum. alter parum abhorrens respondet sibi esse gallum opipare elixum, quem cupiat in symbolum adferre: Dum ad mensam accumbitur, alter os quoddam galli ambedere volens imprudens pene ipsum deglutit, quod cum neque transmittere, neque eximere valeret, eo ipso die suffocatur. alter postridie Pascha malo spiritu corripitur, & non multo post rabie ac furore exagitatus animam vna cum demone exhalat.] Sic ille Belli Liuonici pag. vigesima septima.*

Huc pertinet contemptus excommunicationis. Cum D. Hugo Episcopus Lincolnensis quosdā contumaces excommunicasset, nec magni facerent, illi subito non comparuerūt. Militem alium ob eandē causam diabolus nocte sequente inuasit, & animam subito extorsit. Alij quoque ab eodem excommunicati à diabolo prefocati fuere.

[de qui-

Crescenti
persecutio
crefcenti
piscium.

b lib. 1. col.
lat. c. 39.

c En/eb. li.
3. h/ist. c. 33.
d lib. 1. de
persec. Vā
dal.

e li. 2. con-
tra Parme-
nian.

f sermon.
de lapsis.

g Greg. Tu-
ron. h. 1. de
glo. marty.
c. 78. Sur.
8. Nouem.
in vita
San. Gode-
fridi lib. 3.
c. 12.

a lib. 3. de
moman.
c. 5.

[De quibus lege vitam ab equali eius scriptam c. 23. apud Surium, tom. 6.]

Vndacimum est templorum, & sacrarum rerum direptio ac expilatio. Petr. Cluniacensis, postquam multa, quæ in hoc genere palam & frequenter à Matisconensi quodam Comite fuerant commissa, recensuit, infelicem eius & horroris plenam de vita migrationem in hunc modum commemorat, h. ad terrorem & correctionem nostrorum hæreticorum: cum solenni die, Matiscone in palatio proprio resedisset, eumque multitudo tam militum, quam diuersi ordinis circumstaret: repente ignotus homo equo insidens per palatij ostiū ingressus, omnibus conspicientibus & admirantibus vsque ad ipsum equitando peruenit. Cumque ei astaret, se ei velle colloqui dicens, vt surgeret, ac se sequeretur, non tam monuit, quam imperauit. At ille inuisibili potentia constrictus, nec iam resistere valens surrexit, atque vsque ad ostium domus processit: vbi equum paratum inueniens, eumque ab eo conscendere iussus, ascendit. Cuius stantis habenas ille arripiens, statim cum velocissimo cursu per aera ferri cunctis conspicientibus cepit. Cumque immenso eius clamore ac miserabili eiulatu tota ciuitas commota ad tam inuisum spectaculum concurrisset, tam diu eum per aera currentem attoniti conspexerunt, quamdiu naturali oculorum acie eum subsequi potuerunt. Qui cum eum diu, succurrere ciues, succurrere, vociferantem audirent, nec iuuare valerent, subtractus tandem visibus hominum, æternus quemadmodum meruerat, est factus socius demoniorum. Sic iste direptiones & sacrilegia sua luit in hac & in sequenti vita. Huius mores postea imitatus Orger, quidam Oeconomus, quia tam grauiter deliquerat, in hac vita fuit leuere admonitus; vt futuræ, si saperet, vitæ supplicium

A effugeret. subdit n. Venerabilis idem Abbas, dum hic portam, qua miser ille Comes abductus fuerat, & qua postea semper obstructa manserat, conatur aperire: Ecce inuisibiliter à Diabolo raptus, ac videntibus, qui aderat multo in aera spacio subleuatus, sed confestim dimissus corruit, eiusque corpore grauiter colliso, brachium quoque illius subita ruina confregit.] Duo alia existant exempla l. 3. vite S. Remachi, quæ apud Suriū mense Sept. legi possunt. Ego addā quintum exemplum pœnæ, quam milites post obitum perpeti, qui manus ab expilatione templorum non abstinerant, in gratia tamen decesserant, visione quadam idem auctor declarat: quam ille, vt certissima fide compertam doceat, multa addidit: quæ censui prætermittenda, potuit illa poni lib. præced. capite de spectris mortuorum, sed non incommode hic recēsebitur: eo quod variæ quoque pœnæ hic & supplicia eorum narrantur, qui vt Matisconensis ille comes sacrilegi fuere. Itaque Petr. Venerabilis inducit ipsum, qui viderat Petr. Engelbertum Monachiam, & à seculari ad spiritalem militiam digressum sic loquentem: à Tempore, quo Rex Aragonensis Alfonsus, regnum maioris Alfonsi Hispaniarum Regis iam mortui obrinebat, contigit vt contra quosdam, qui in regione, qua Castella dicitur, ei repugnabat, exercitum commoueret, & vt de singulis regni sui domib. singuli illuc pedires vel equites dirigerentur, edicto sanciret. Ego edicto coactus vnum ex mercenarijs mercede mihi seruientibus Sanctium nomine, ad exercitum destinaui. Paucis post diebus decursis, omnibusque qui expeditioni illi interfuerant ad propria redeuntibus, ipse quoque domum reuersus est. Non longo deinceps tempore elapso; more humano morbo correptus, nec diu cum morbo luctatus,

h l 2. mir.
cap. 1.

alib. m.
rach. 1.

defun-

defunctus est. Inde post quatuor fere menses, ex quo è vita decessit, dum apud Stellam in domo mea hyemali tempore iuxta ignem in lecto iacerem, subito iam dictus Sancius circa mediam noctem mihi adhuc vigilantem apparuit. Qui igni aspidens, & carbones, quasi ad calefaciendum, vel ad clarificandum, huc illucque reuersans, multo magis se mihi cognoscibilem demonstrabat. Erat autem nudus & absque omni vestitu, excepto paruo vilique tegumento, quo voluit inhonestiora corporis obuclabat. Quem cum vidissem, quis inquam es tu? at ille humili voce: Ego sum, inquit, Sancius famulus tuus, quid, inquam, hic agis? vado, inquit, Castellam, iterq; meum multis exercitus comitatur, vt vbi deliquimus, ibi & delictis penas debitas exsoluamus? Et, cur, inquam, huc diuertisti? Est, inquit, mihi spes venie, & si misereri volueris celeritorem mihi requiem comparare poteris. Quomodo, inquam? Quando inquit, nuper expeditioni, quam nostri, inter sui, hostili inuitatus licentia, Ecclesiam quandam cum quibusdam socijs inuasi, qua intus sunt inuenta diripi, vestimenta insuper Sacerdotalia mecum rediens asportauit. Pro quo specialiter diris penas subactis affligor, & remedium à te, sicut à domino meo, quantis possum precibus exoptulo. Nam poteris mihi subuenire, si beneficij spiritualibus me studueris adiuuare. Rogo insuper, vt dominam meam, vxorem tuam, ex mea parte, mea functus vice depreceris, ne octo solidos, quos pro seruitio meo mercenario iure, mihi debebat, reddere iam moretur, & quod necessitatibus carnis, si adhuc vixerem, reddidisset, anima mea longe amplius his egentem, erogando eos pauperibus, largiatur. Iam ego tali eius colloquutione magis animatus: quid, inquam, de concine nostro Petro Deuoca nuper defuncto actum est? Rogo, vt, si quid de illo nosti, aperias. Illum, ait, opera misericordie frequenter quidem, sed maxi-

A me praterita famis tempore, impensa pauperibus beatorum requieti adiunxerunt, & vita eterna participem effecerunt. Cumque eum tam prompte & facile mihi respondere audissem, adieci, & de Bernerio alio ciue nostro, ante paruum tempus similiter, vt nosti defuncto, aliquid tibi notum est? illum, inquit, infernus possidet. quia ad terminandas huic villa lites & iudicio dirimendas prelatas, multa saepe muneribus aut gratia illectus iniuste iudicauit: & quia quidam pauperi vidua quodam tempore baconem vnum, qualecumque vita eius subsidium, crudeliter auferre non timuit. Tunc longe amplius ad maiora querenda animi feruore succensus, adiunxi. De rege nostro Alfonso ante paucos annos defuncto tibi aliquid notum esse potuit? ad haec quidam alius in fenestra capiti meo proxime superposita residens. Noli, ait, hoc ab isto querere, quod ignorat, quoniam recens eius ad partes nostras aduentus, hoc ei notum fieri nondum permisit. Mibi vero, cui à die obitus mei quinquennalis cum huiusmodi spiritibus mora, plura quam isti nouiter nota fecit, quod de rege queris ignotum esse non potuit. At ego rursus noua vocis auditu attonitus, ac videre cupiens vocis auctorem, conuerti oculos, ad fenestram, adiutusque luna splendore, quae lumine suo omne tunc domus spacium clare illustrabat, conspicio hominem in inferiori fenestrae margine residentem, quem in eodem habitu, quo aliud videram cernens: Es tu, inquam, quis es? ego inquit, eius quem aspicias socius sum, & Castellam cum isto & multis alijs proficiscor. Et tu, inquam, de rege Alfonso, vti dicebas, aliquid nosti? Noui, inquit, vbi fuerit, sed vero vbi modo sit nescio. Nam aliquamdiu tormentis acerbis inter reos cruciatus, postmodum à Cluniacensibus monachis inde sublatus est. Exinde vero, quid de eo factum sit prorsus ignoro. His dictis ad socium, qui igni as-

sidebat, verba conuertens. ait, surge & iam iter inceptum peragere incipiamus. Ecce enim iam omnes vias, quae intra vel extra castellum sunt, subsequens nox exercitus sociorum impleuit, & iam multis velocissime praeteregressus, vt festinanter eos sequi debeamus vrgemur. Ad hanc vocem Sancius surrexit, & flebili voce, quod prius rogauerat ingeminans, Rogo, inquit, Domine, ne mei obliuiscaris, & vt dominam meam, coniugem tuam, quae uenit, quod corpori debebat, misera anima mea restituat. oro, sollicitus exhorteris. His dictis statim uterque disparuit. At ego mox coniugem iuxta me in lecto dormientem, citata voce exsuscitans, priusquam ei, quod videram vel audieram, narrarem, interrogavi, Vtrum aliquid Sancio communi nostro mercenario pro mercede deberet. Qua respondente, quod ego nondum ab aliquo nisi à mortuo audieram, se videlicet eidem Sancio adhuc octo solidos debere: nequaquam vltra dubitare potui, cui fidem & mortui relatio & mulieris confirmatio conferbant. Facto mane octo illos solidos à coniuge accipiens, & de meo quod congruum visum est addens, pro eius qui apparauerat salute pauperibus distribui, & sacrarum Missarum adiutoria ei à sacerdotibus mea prece & studio impensa, ad pleniorum peccatorum eius remissionem adauxi. In hac tam clara, tam certa, tam commendabili visione docemur, quod mortuos opera sua sequantur, hos quidem milites eo quod confessi decesserant, & culpam sacramento poenitentiae deleuerant, expiatorijs supplicijs pro poena peccato debita ad tempus, illum quia non confessus erat, & culpam criminis abolere neglexerat, æternis cruciatibus fuisse mancipatum. Catholicis vtriusque fortis optio est, hæreticis qui & confessionem respuunt, & purgatorium negant altera tantum compe-

tit, quam agnoscunt, & fatentur. Accedat denique horribilius aliud ab Humberto Archiepiscopo coram Papa narratum: In Teutonicijs partibus Comes quidam diues ac prapotens, sed bona opinionis & innocentis vita, prout humanum erat de eius estimatione iudicium, ante decennium fere defunctus est. Post cuius obitum quidam religiosus vir per spiritum ad inferiora descendens, presatum Comitem in supremo gradu scale cuiusdam positum vidit. Aiebant namque quia scala inter stridentes atque crepitantes vltrices incendij flammis videbatur erecta, atque ad suscipiendos omnes, qui ex eadem Comitum genealogia descenderent, constituta. Erat autem tetrum chaos, immane bathrum, insigne patens, atque in profunda demersum, vnde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succedentium sibi ferries tenebatur, vt cum quis eorum nouus accederet, primum interim gradum scale teneret: is autem qui illic repertus erat, alijque omnes ad proximum sibi gradum ima descenderent. Cum, alij atque alij eodem genere homines post carnis obitum ad presatam scalam, per temporum intervalla confluerent, alij protinus cederent, ineffabilis iudicij necessitate ad inferiora migrabant. Plane dum vir, qui hac contemplantur, causam huius horrendæ damnationis inquireret, & presertim cur ille Comes sui temporis puniretur, qui tam iuste, tam decenter, tam honeste vixisset? Audiuit, quia propter quandam prædij Merensis Ecclesie possessionem, quam B. Stephano eius proauus abstulerat, cui videlicet iste iam decimus in hereditate successit, omnes istius non diuerso supplicio deputati sunt, & sicut eos ad peccandum non dispar auaritia culpa comunxit, ita nihilominus ad perferendas atrocis incendij poenas, commune supplicium copulauit. Sic Petrus Damiani epistol. ad Nicolaum Papam, vt citat Pa-

cat Baronius tomo XI. Annal. anno Christi 1055. Quae utinam audiant potentes Ecclesiarum bonis suffarciati, qui se bonae fidei possessores putant, male à maioribus occupatorum. Ad hoc caput reducitur *irrisio virorum sanctorum*, quam Deus non solet relinquere impunitam. Scribitur tale quid in antiquissima sancti Carilephi vita: *Mulier quaedam Gunda nomine, quam clandestinus supplantator illexerat, Spiritui Sancto volens illudere, virili praesumpta veste, in beatissimi Carilephi monasterium ingredi conata est, ut probaret verumne esset illius vaticinium, quo praedixerat sexui famineo nunquam datum iri copiam in illud intrandi, sed iusto Dei iudicio, priusquam vel aspiceret canobij clausos aditus, arrepta à diabolo retrorsum ruit, adeoque fide ab illo vexata est, ut dicere ne pudeat. Caput enim illi adegit inter femora, sicque factum est, ut quae sacratis liminibus falsa oscula imprimere tentauerat, immundas sui corporis partes osculari cogeretur, sexumque ipsa suum, quem virili habitu tegere voluerat, canctis cernere volentibus palam proderet. Eares effecit, ut deinceps eo se conferre mulieres ausa non sint.*] Surius tomo 3. Mens. Iulij. utinam & nostri temporis muliercularum audacia hoc exemplo eis narrato reprimatur. Aliquando etiam, ob festorum dierum cultum temeratum Deus talia permittit, ut ei accidit qui seruire opus faciebat in festo sancti Philastrij. *Beatus Rampertus Brixienfis in tractat. de translatio. S. Philastrij.*

Duodecimam causam praebet multorum Pusillanimitas, & desperatio, cum maiore oppressi, à Deo vel non petunt auxilium, vel se malis eripendos diffidunt, quae de causa etiam plerique se demoni ut auxiliatori subijciunt: praebet etiam cu-

Ariositas nimia causam, quando impudenter petimus scire, quod nulla ratione competit inuestigare: prius illud patet, ex Historia Theophili Oeconomi, quam nobis oculatus testis Eutyechianus, patriarcha nouae Romae, dereliquit, quam alibi breuiter attigi, hic latius prosequar verbis auctoris, *Cum Caesar Iustinianus rerum potiretur, Theophilus quidam in oppido Cilicia Adana Oeconomus Ecclesiae fuit, multis quidem ille gratus, & Episcopali munere, quod tamen constanter detreclauit, dignus existimatus. Qui ab emulis inuicem merito accusatus, & de officio Oeconomia deiectus, in eam animi impotentiam, adeoque impietatem, deuenit, ut hortatori Mago Iudaeo morem gerens, Christum Dei filium ac matrem eius Mariam data syngrapha turpissime abnegaret, seque totum imperio Sarana, qui se videndum obtulerat, traderet atque manciparet. Quid hic faceret miser, tam nefarij criminis sibi conscius? Totus animo perturbatus, ut nusquam sere posset consistere, cum irato Deo se demonis esse mancipium cogitaret, mutato consilio, tandem ad sanctissimam Dei matrem confugiendum duxit, ac templum eius sacrum petijt, in quo suas preces ac supplicationes, cum multa ieiunatione coniunctas, noctes ac dies indefesse consumpsit, magnumque vere poenitentiae specimen edere cepit.*] subditur deinde, admodum pia & vere poenitentis ac demissi contritique spiritus, oratio ipsius Theophili, *Quid multis addidit Theophilus quadraginta dies in hoc Maria templo perdurans, nullumque orandi, & plorandi lamentandi finem faciens (tantus in illo feruor erat poenitentiae denique, opitulante sacra Virgine, suam scriptam & consignatam diabolo syngrapham, qua Christianismum abiurauerat (mirabile dictu) recepit, in Dei gratiam, redijt, &c.]*

Hanc historiam (qua salutare cunctis, qui iusto Deo iudicio, in maligni hostis, aut maleficorū eius membrum manus inciderint, ac certum efficacique remedium proponitur) ex Græcis habent Metaphrastes, a ex Latinis Petr. Damianus, & Sigbertus b. Posterius, de curiositate, traditur à B. Augustino, & in Decreto Gratiani inferitur c.

a apud Suri. mense Febr. 10. 1.

F Interdum hæc ob culpas veniabiles à Deo permittuntur, maxime ut sanctitas & gratia eorum, qui sanitatem reddituri, cunctis innotescat. hoc cōtigit Abbati Mofi, apud Cassianum, propter leuiculam iram d, hoc, propter præcipitem gulam & leuem, cui-dam religiose apud D. Gregorium, e hoc cuidam religioso, ob tepiditatem & distractionem in oratione, apud scriptorem vitæ D. Bernardi f, quorum sanatio famam auxit D. Bernardi, D. Equitij, & D. Macarij, per quos Deus illos liberauit.

QVÆSTIO VIII.

Cur cum ista damna plerumque diabolus possit per se inferre, malit uti opera maleficorum?

D Vas inuenio causas. alteram quia hoc pacto maiorem Deo se facere credit iniuriam, quando creaturis ratione præditis, & baptismo ablutis, & chrismate delibutis, potest abuti ad creatoris ipsius vilipendium, & irritationem pluribus etiam sic nocet, quia non adeo homines abhorrent à conuersatione & familiaritate maleficorum, atq; odere consortium diaboli. Si namque semper se dæmon palam obtruderet, multi scædus cum eo percutere, & has artes magicas exer-

cere detrectarent. Denique plures asciscit sceleris socios, quos perdat.

Altera est, quia quædam per homines potest, quæ vel non possit, vel non tam commode possit per semetipsum immediate perficere, Verbi gratia si resistendum sit alicui viro sancto cōcionanti, aut recta suadendi: sicut per Iannem & Mambrem Mofi, per Elimam D. Paulo restitit. item si sint hærefes spargendæ, sicut per Simonem, Menandrum, Marcum, & alios fecit. item si sacris rebus abutendum, quod in maleficijs frequentissimum est g: quibus cum per homines abutitur, copiosius lucrum refert animarum, tum quia sic plures in fraudem inducit: nam contemptoribus rerum sacrarum contemptum adauget, veneratoribus falso persuadet hæc à Deo, non à dæmone fieri h, & sic ad defensionem maleficorum multos inducit, atque ita peccatum eis impingit. tum quia consequitur, ut ad magicam superstitionem homines etiam addant sacrilegium. Vnde Deus magis magisque offensus, plura etiam in dies principibus tenebrarum in miseros mortales permittat. Interdum tamē, quod per illos possit, mauult per se operari, tum ut eorum aliquam gratiam promereatur, tum ut ab ijs suspicionem noxæ remoueat, tum ut sic potentiam suam ostendet. Singula exemplis illustrat Remig. libr. 2. Dæmonolat. cap. 9.

Restabat dicere de remedijs maleficorum: sed id differo in vltimum librum. Sequitur videamus de vna obseruatione.

)? (